

Cur hac fecisti mihi? Rex peccato suo prætextum quærens, in Abrami fraudem culpam reiicit. Ita solent homines, præcipue magnates factorum suorum culpam à se remouere ad alios: gloriam ad se ab aliis. Quanquam non absque ratione cum Abramo expostulat candorem in eo desiderans. Tua, inquit, non mea culpa est. Tu si præ te tulisses, quod vxor tua esset, nunquam ad me eam transferri curassem. Fieri potest vt ex animo id dixerit, & quod alienam vxorem sciens non fuisset rapturus: quoniam inter Ethnicos etiam aliqua honestas viguit, & iura coniugiorum seruantur: adulteria puniebantur. Et sic culpa non vacauit Abram, quia videtur dolo egisse cum rege, quod profecto capitale ei fuisset, si rex seuerius agere voluisset. Vnde partem culpæ silentio agnoscit Abram. **ET ACCEPI EAM MIHI VXOREM.** Sic Onkelos, & LXX. $\chi\epsilon\lambda\alpha\theta\omicron\nu$ quasi iam accepisset vxorem. Sed Hebr. קָבַלְתִּי est futurum: & *accepturus eram*: quod non male vetus: vt *tollerem eam mihi in vxorem*: & clarius nostri: *vt accepturus eam mihi fuerim in vxorem*. Nondum igitur vxorem duxerat, & ita nondum agnouerat, morbo mature præpeditus. Vnde Saræ pudicitiam ilibatam mansisse satis aperte habetur. Quod etiam rex nõ obscure confirmat addens: *Nunc igitur ecce coniux tua: accipe eam*: quasi dicat intactam à me recipe, & tibi soli habe. **ET VADE.** Non eiicit eum: Sed suadet discedere causa & honoris sui, vt absentibus ipsis facti fama citius consopiat: & periculi ipsius, ne quasi impostor ab Ægyptiis aduersi quid forte patiatur.

20. PRÆCEPITQUE PHARAO. Iustitiæ fuit, quod vxorem ablatam ei restituit. Nunc clementiæ est, quod nulla re mulctatum cum bona gratia dimittit: Prudentiæ insuper, quod additis custodibus deducendum curat, & cum rebus suis ab iniuriis latrunculorum, qui-

A bus itinera deserta illa infesta solebant esse, securum præstat, ne prædæ pateat. Quin & Ægyptiorum inuidiæ obnoxius erat Abram, quod repente ditatus tam opima quasi spolia secum auferret: Dei igitur quidam præsidio se tutum fore confidebat Abraham. Quod vero etiã Regis saluum conductum non est aspernatus: ea re Deum non tentandum, sed mediis legitimis vtendum esse docere voluit.

B Coronidis vice elegantè paraphrasin historiæ huius in gratiam lectoris ex *Philonis* libro de Abramo subiiciam, Abram quoque, audita Ægypti felicitate abundantiaque, cuius campi solenni stagnatione fluminis rigati, copiosas segetes proferunt, illuc se cum tota familia contulit. Erat ei vxor animi corporisq; dotibus ornatissima. Hac visa quidam Ægyptiorum optimates, admirati pulcritudinem (nihil enim eximium latere potest) rem ad regem suum deferunt. Is acersit mulierem, & forma eius captus, semota hospitalis iuris reuerentia, morem gesturus suæ cupiditati, voluit eo prætextu nuptiarum potiri. At illa in aliena regione apud impotentem & crudelem principem destituta auxilio, quãdo ne maritus quidem malum impendens depellere volebat, potentiorum metuens, ad eam quæ supererat opem diuinam confugit. Tum **DEVS** propitius miseratus hospites, & protector factus iniuriam patientium graues pœnas & cruciatus magnos inflixit regi, ita vt anima corporeque laboraret morbo non simplici, & amorum voluptatumque oblitus, longe diuersas curas ageret, quoniam modo euadere posset è tormentis præsentibus, quibus continuis interdium noctuque molestabatur. Quam eius pœnam sensit & tota regia, eo quod nemo se tantæ iniquitati opposuerat, sed vno consensu omnium tantum non manus extrema sceleri fuerat imposita. In hunc modum pudici-

CAPITI
ArgyPRIM
RediINDIT ITA Q
ESTO: TIC
pene puris: D
Abraham
si exercita c
i familia dimi
pura in Cana
quæ dicitur ma